



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Electo Et Clero Laudunensi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

534 Epistolarum Innocentij III.

ELECTO ET CLERO
Laudunensi.

rum de Villa Morini, cum terris & pratis, Terras & redditus de Valeriis & de Chaale & de Estorviaco. Terras cum pratis & redditibus de sanctis Virtutibus. Capellam de Monasteriolo, cum terris, pratis, silvis, cum tertia parte justitiae. Capellam & medietatem villa Campaniaci, cum justitia, terris, aquis, silvis ad eandem villam pertinentibus. In episcopatu Trecensi Ecclesiam sancti Petri in villa quæ dicitur Iafsan, cum decimis, terris, molendinis, pratis, & omnibus appendiciis suis. Et in eadem parochia, in villa quæ Trena dicitur, Capellam sancti Michaelis. Molendina de burgo Beraldi & de burgo Tornodori, & molendina Bernerij. Duas partes sedis molendini quod Chamelli dicitur. Capellam de Capa, & totum finagium, cum justitia & vineis. Et terram quæ dicitur Charum, & campum Bamfredi, & tertiam partem communis justitiae Vallis Planæ. Sanè novalium vestrorum &c. usque exigere ac extorquere præsumat. Liceat quoque vobis Clericos vel laicos liberos & absolutos è seculo fugientes ad conversionem recipere, & eos absque contradictione aliquis retinere. Prohibemus insuper ut nulli fratrum vestrorum post factam in eodem loco professionem &c. usque discedere. Discedentem verò &c. usque retinere. Cùm autem generale interdictum terra fuerit &c. usque officia celebrare. In parochialibus verò Ecclesiis quas habetis liceat vobis &c. ut in alio privilegio usque debeat respondere. Statuimus præterea ut quicunque in castro Tornodori & in parochia sancti Aniani moriuntur, sicut antiquitus obtentum est & haecenus pacifice observatum, non alibi quam ad vestrum monasterium deferantur, nisi sui compotes alibi elegerunt sepulturam. Indulgemus etiam vobis ut in toto castro Tornodori nulli licet cimiterium benedicere seu Ecclesiam vel oratorium de novo construere. salvis tamen privilegiis Romanorum Pontificum. Obeunte verò te nunc ejusdem loci Abbate &c. usque providerint eligendum. Decernimus ergo ut nulli omnino &c. ut in alio usque profutura. Salva sedis apostolicae auctoritate & diocefani Episcopi canonica justitia. Si qua igitur in futurum &c. in eundem modum ut in alio usque præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Datum Laterani per manum Iohannis sanctæ Mariæ in Consilio Diaconi Cardinalis S. R. E. Cancelarij Kalend. Iunij, Indictione xiiii. incarnationis dominicæ anno m c c x i. pontificatus verò Domini Innocentij Papæ III. anno quartodecimo.

Sic nervo ecclesiasticae disciplinae coer-
ceri debet insolentia perversorum ut De nos in
eo non opprimantur infantes, cum cen-
sura ecclesiastica non debeat esse innocen-
tum oppressio, sed correccio delinquen-
tum; ut servus amputata sibi auricula dex-
tera, gladio quem Petrus per se ipsum exe-
rit fiat Malchus se gerens & dirigens in Dei
semitam mandatorum. Sanè dilectis filiis
Majore, Iuratis Scabinis, & universitate
communia Laudunensis conquerentibus,
nostro est apostolatui referatum quod vos
& alij viri ecclesiastici sape in eos & in ter-
ras ac familias eorum excommunicationis
& interdicti sententias sine causa rationa-
bili ac prætermisso juris ordine promulgatis,
ipso per hujusmodi sententias multi-
pliciter contra justitiam aggravantes; licet
super his de quibus impetrantur à quoquam
sint exhibere parati quod postulat ordo ju-
ris. Nolentes igitur eisdem ecclesiastica
districione indebet prægravari, cum ex
apostolica servitutis officio sublevare te-
neamus injuste depræfatos, vobis & aliis
auctoritate præsentium districtus inhibe-
mus ne in ipsis vel eorum quilibet seu
terræ aut familias corundem sine manifesta
& rationabili causa excommunicationis vel
interdicti sententias proferatis; decernen-
tes hujusmodi sententias, si quæ post ap-
pellationem ad nos propter hoc legitimè
interpositam fuerint promulgatae, penitus
non tenere. Datum Laterani iiii. Kalend.
Iunij, pontificatus nostri anno quartodeci-
mo.

PATRIARCHÆ IEROSOLYMITANO,
apostolice sedis Legato.

Cum inter Armenia Regem illumstem
& dilectos filios Magistrum & fratres
militiae Templi super castro Galtonis & re-
bus aliis quæstio verteretur, tibi nostris de-
dimus litteris in mandatis ut quæstionem
ipsam concordia vel judicio terminares, fa-
ciens quod statueres per censuram ecclie-
siasticam firmiter observari. Cùm igitur
quidam ex fratribus ipsis ad hoc à Magi-
stro & aliis fratribus constituti fuissent ut
in eisdem causis agendo contra ipsum Re-
gem, ac eidem respondendo, procede-
rent, & parati essent hæc omnia, prout
eis injunctum fuerat, adimplere, idem Rex
respondere noluit quibusdam petitionibus
corundem, & sic judicio non recepto, ad
quod se Templarij offerebant, bona ipso-